



1. Gerlachij Stephij diff:
de persona Servatoris Christi
Tubingae 1577
2. Gesnerij Salamp diff. de
quadruplici Homini con-
sideratione, Witteb. 1596.
3. ———— diff. dud de
Acolia triumphante in
Coeli. Witteberga 1595.
4. ———— diff tres de Turra.
Witteb. 1595.
5. ———— diff. de commu-
nicatione idiomatum reali
Witteberga 1596.

6. Gesneri s. Salam. / diff. II. de
libro concordie Wittenbergse
7. Glassij / Salam. / ¹⁵⁹³ diff. ex psalmo
XC. / eund 1639.
8. Goetzij s. Geertzij / diff. de
prophetia Christi, eund
1662.
9. ————— / diff. de suspendio
Jude, eund 1662.
10. Graweri / diff. de plerisque
omnibus capitibus Christiane
pietatis, Hald 1615.
11. Gruner s. Christoph. / diff.
de semine Mulieris
Wittenbergse 1593.
12. ————— / oratio, de studio
lingue Hebraeae necessario
ad cognitionem rerum
theologicarum, Regiom.
1594.

- 13 Bruner / Christophori / oratio
de Catechismo Lutheri
Regiomonti 1599.
- 14 —————
dissertationes XIX
in locor communes phil. Melan-
thonis et Cbrum Concordia
Regiom. 1593
- 15 Frederici s. Joh. / diff. De primario
Argumento librorum Canoni-
corum S. Scripturae. Helmsf.
1595.
- 16 —————
diff. De libris
utriusq. Testamenti libris
Canonicis, et eorum Auto-
ritate, Helmsf. 1592.
- 17 Henrici / Zutphanensis / Mar-
tyris in Ditmarsia 1529
propositiones, magdeb. 1600
- 18 Hildebrandi s. Joach. / diff. in
qua controversie theologice
ad metaphysicam revocantur.
Helmsf. 1661.
- 19 —————
Discussio Hereseon
Aerij, Helmsf. 1656
- 20 Cellarij / Balth. / diff. de peccato
originiis Helmsf. 1660.

21. Hildebrand s. Joach / diff. de rebus
Sacris. Helmst. 1655.
22. Himmelij s. Enochi / diff. de Censura
Ecclesiastica, jenu 1644.
23. Hofmann s. Dan / theses, de Necessitate
Dei et voluntatis ipsius.
Humanis animi natura inflexa.
Helmst. 1543.
24. ——— theses, de Hominiis Crea-
tione, integritate, corruptione
et peccatis. Helmst. 1548.
25. ——— Diss. de justificatione
Hominiis, coram Deo, Helmst.
1548.
26. ——— diff. num Syllogismus
rationis locum habeat in
Regno fidei. Magdeb. 1600.
27. ——— Diss. pro duplici veritate
Lutheri a philosophis impug-
nata, Magdeb. 1600.
28. ——— diff. de Deo. et Christo.
Magdeb. 1601.
29. Horneij s. Conr / diff. de fide
et bonis operibus, Helmst.
1643.

30. Horneij. Cour. f. Differt. de verbo
Dei et de natura et attributis
divinis, Helmst. 1693.

31.

20
tes

Disputatio I.

ADVERSUS APO-

CRISTIANOS
IN
CIVITATE
MAGNIFICENTIAE
CIVITATIS
MAGNIFICENTIAE

CONCEPTA

DE
MAGNIFICENTIA

Quibus

ADVERSUS APO-

M. Lucas


1611

TYBINGAE

in

1611





2

THESES
DE QVADRVPlici
HOMINIS CONSIDERATIONE
IN STATU NATURÆ

INTEGRÆ,
CORRVTÆ,
REGENERATÆ, ET
GLORIFICATÆ,

SVB PRÆSIDIO
REVERENDI ET CLA-
RISSIMI VIRI DN. SALOMONIS
GESNERI, S.S. THEOLOGIÆ DOCTORIS
& Professoris in alma Witebergensium
Academia,

A

*M. IOHANNE MVLLERO, HAVELBER-
gense, Marchico, Respondente, concinnata & publica
disputationi proposita, die VII. Ianuarij
an̄o d̄i Anno novi 1597.*



WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri, Anno 1596.

REVERENTIA DI-
GNISSIMIS, NOBILISSI-
MIS, PRVDENTIA ET AVCTO-
RITATE PRÆCELLENTIS-
SIMIS DOMINIS:

PRÆPOSITO, DECANO, SE-
NIORI, RELIQVISQVE CATHEDRALISEC-
clesiæ Havelbergensis capitularibus Do-
minis ac fautoribus suis unice
colendis, & singulariter
observandis.

Nec non

VIRTUTE, SINGVLARI VITÆ
INTEGRITATE PRÆSTANTI, PRU-
dentia & multo rerū usu excellenti Viro, ZACHARIÆ
DRENDLERO arcis Sandovianæ præfecto, vi-
trico suo perpetuo amore vene-
rando, plurimumq;
observando.

*Hasce theses offert &
nuncupat Respondens.*

DE PRIMO STATU HOMINIS

ANTE LAPSUM.

THESIS. I.



Πρωτοπλάστῳ non casu extitisse, sed juxta liber-
rimum Dei ter Optimi Maximi arbitrium, & divi-
nam voluntatem, corpore & animà horumq; cum
internis, tum externis viribus, integros & incor-
ruptos, tali, qualem coràm videmus, specie, con-
ditos & in amœnitatis hortum παρόδῳσιν collo-
catos, infallibilia testantur sacra scripturæ testimo-
nia, ut Genes. 1. & 2. Matth. 19. Sapient. 2.

II.

Cum vero hominis ea sit conditio, ut integer quidem à principio fuerit conditus, sed ilicò ab integritate illa deciderit, jamq; vicissim paternâ Dei misericordiâ per verbum & sacramenta reparetur, tandemq; in vitâ eternâ glorificetur: Ideo quatuor ista humanæ vitæ tempora, vel conditiones & gradus in præsentî disputatione, juxta canonem sacrarum literarum explicanda suscipiemus.

III.

Principio, ut primum hominis statum consideremus, talis ejus descriptio ex Genes. 1. & 2. cap. colligi potest.

IIII.

Primi homines ante lapsum sunt substantiâ à Deo conditæ, è pulvere terræ vir, & ex costâ viri mulier, distinctæ sexu, in quibus terrena membra & spiraculum vitæ à Deo inspiratum unita sunt, ornata imagine Dei, creatæ ut Deum suum cognoscerent & juxta normam obedientiæ colerent, & hujus mundi incolæ & æconomi essent, unâ cum suis posteris.

V.

A Deo creatos & formatos esse his testimonijs evincitur. Genes. 1. dixit **אֱלֹהִים** faciamus hominē ad imaginem & similitudinem nostram. Item, creavit **אֱלֹהִים** hominem ad imaginē & similitudinem suam.

VI.

Ubi **ὡς ἐν παρόδῳ** etiam hoc animadvertendum venit, non tantum dici **אֱלֹהִים** homines condidisse, sed evidenter ab ipso Deo pronuciari, faciamus hominem in plurali: & quidem ad imaginem nostram, tanquam plurium personarum.

VII.

Nec somniandum, cum creaturis Architectum rerum omnium de formandis hominibus consultasse: Sed tres personæ S. Trinitatis, PATER, FILIUS & SPIRITUS Sanctus, communi opera & consilio homines creant, Gen. 2. Formavit אֱלֹהִים hominem Gen. 5. Creavit אֱלֹהִים hominem, ad similitudinem אֱלֹהִים fecit eum, masculinum & foemina creavit eos.

VIII.

Ex pulvere terræ, & quidem ruffæ, πρωτοπλαστος fuisse creatos innuit vox hebræa אֶרֶץ & expressissime dicitur Genes. 2. Formavit Iehovah Elohim hominem PULVEREM de HUMO Sic enim textus hebræus habet, & Gen. 2. In sudore vultus tui vesceris panne tuo, donec revertaris in HUMUM: de ea enim sumptus es, quia PULVIS es (עֶפֶר) & in PULVEREM revertêris.

IX.

Altera hominis substantia pars est spiraculum vitæ, immediatè à Deo inspiratum, & corpori terreno inditum, quod spiraculum usitato loquendi more, anima rationalis appellari solet, de quo Moyses sic testatur Gen. 2. Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.

X.

Mulierem non immediatè ex terræ pulvere, ut primum Adamum, sed mirandà Dei potentiâ & sapientiâ ex costâ è latere Adami profundissimum somnum dormientis exemptâ conditam esse, patet Gen. 2. & ipse Adam eam propterea viraginem appellat dicens: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, ista vocabitur virago, quia de viro sumpta est.

XI.

Porro corpus pulvereum, & spiritus divinus immensâ Dei sapientiâ sic sunt unita, ut unus hominem unamq; subsistentiam constituerent. Gen. 2.

XII.

Hæc verò tota hominis substantia, imagine Dei ceu preciosissimâ veste amicta & ornata fuit, cum non tantum dicatur אֱלֹהִים creasse hominem, sed creasse eum ad imaginem, & similitudinem suam, ad imaginem אֱלֹהִים creasse eum Gen. 5.

XIII.

Ea vero Dei imago, & similitudo in primis hominibus, facilius est, quid non fuerit, quam quid fuerit, dicere.

Princi-

XIV.

Principio enim, quod imago illa Dei, ad quam primi homines creati fuerunt, nec hominis substantia, ex anima & corpore composita, nec seorsim, vel anima, animæve facultates, essentielles, aut deniq; corpus, corporisq; membra sit, inde demonstrari potest.

XV.

Hac enim ratione consequeretur, amissa, (quod probo dolor, per lapsum evenit) imagine Dei, lues originalem, quæ in amissa imaginis Dei locum successit esse substantiam, ex anima & corpore constatam, quod à veritate vehementer abhorret, ac articulis fidei de creatione, redemptione, & sanctificatione contrarium est.

XVI.

Cum enim homines, ut nunc ex parentibus nascuntur, non minus sint creatura Dei, quam protoplasti fuerunt, oporteret Deum peccati creatorem esse, si peccatum hominis esset substantia.

XVII.

Ac cum Filius Dei integram hominis naturam animâ rationali, & corpore humano constantem assumserit, & nobis sit factus $\delta\mu\omicron\delta\sigma\iota\omicron\sigma$, efficeretur inde Christum quoq; peccatum assumpsisse, si peccatum demus esse hominis substantiam.

XVIII.

Eodemq; pacto ex hoc absurdo sequeretur, peccatum à Christo redemptam esse, peccatum regenerari, justificari, à mortuis excitari, in vita æterna glorificari, cum hæc omnia substantia hominis eveniant.

XIX.

Quod si igitur peccatum originis non est hominis substantia, promptum est inde inferre, quod nec originalis justitia fuerit ipsissima hominis substantia. Quandoquidem primæva illa lues in locum primæva & congenitæ integritatis venit,

XX.

Quod porro imago Dei non sit anima hominis, ita constat, quia hoc inde absurdi sequeretur, amissâ imagine Dei, ipsam animam fuisse amissam.

XXI.

Nec imago Dei in homine aliqua animæ facultas substantialis esse potuit, quæ, illæsa & omnibus suis partibus integra manente animâ, amitti potuisset.

XXII.

Nam cum anima sit spiritus partem extra partem non habens, non

potuisset non fieri, parte aliquâ animæ deleta, ablata seu destructa, ipsissimam animæ substantiam deleri, aboleri, destrui.

XXIII.

Imago deniq; illa Dei in homine corpus esse multo minus etiam potuit, quia destructa imagine Dei corpus nihilominus reliquum mansit, quod fieri non potuisset, nisi corpus aliud ipsâ sua essentia ab imagine Dei distinctum fuisset.

XXIV.

Ex hac essentialium hominis partium remotione, manifestum est, nec corpus, nec animam nec ex his constitutum hominem propriè & sine discrimine fuisse ipsam imaginem Dei substantialem, quæ nulli creaturæ, sed soli Deo transcribitur.

XXV.

Hactenus, quid non sit; nunc quid sit propriè imago Dei, quâ primè $\omega\sigma\omega\tau\acute{o}\pi\lambda\alpha\sigma\sigma\iota$ à Deo ante lapsum dotati erant, dicemus.

XXVI.

Imago Dei ad quam homo conditus est, erat similitudo & conformitas hominis cum $\alpha\gamma\chi\epsilon\tau\acute{o}\omega$ seu ipso Deo, videlicet, Mens illustrata luce veræ noticiæ Dei & sapientia discernente recta & prava: & voluntas liberrimo arbitrio expetens & probans recta & justa ardens dilectione Dei & verâ obedientia erga Deum: & cor rectum, omnes affectus & motus habens conformes legi Dei Gen. 2.

XXVII.

Nec silentio prætereundum est, quod alioquin scriptura mentionem faciat imaginis Dei essentialis & æternæ, quæ est **FILIUS DEI**, qui dicitur $\mu\acute{o}\nu\ \tau\acute{\delta}\ \alpha\acute{\iota}\delta\iota\acute{\varsigma}\ \pi\alpha\tau\epsilon\rho\varsigma$, $\kappa\alpha\iota\ \alpha\pi\alpha\upsilon\gamma\alpha\sigma\mu\alpha$, de hac nobis in præsentia sermo non est: Sed loquimur de creatâ & accidentili in electis angelis & hominibus, quam hoc loco intellectam volumus.

XXVIII.

Et $\epsilon\iota\kappa\acute{o}\nu\alpha$ Dei, in primis hominibus non substantiam, sed accidens seu qualitatem fuisse docet Paulus 2. Corint. 3. Nos vero omnes revelatâ facie gloriam Dei specularantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu: Et Ephes. 4. Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia & sanctitate vera. Colos. 3. Induite novum hominem qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eum.

XXIX.

Ac cum sapientia & justitia hominibus & angelis tribuitur, non existimare quispiam debet, illos eo modo, sapientes & justos prædicari sicut

sicut Deus summè sapiens & justus, vel potiùs ipsa sapientia & justitia est.

XXX.

Nam hac ratione Deus non creasset hominem, sed Deum, qui essentialiter est ipsa justitia & sapientia, qua etiam cum ipsius essentia convertitur, in angelis & hominibus haud ita idem.

XXXI.

Horum enim justitia & sanctitas est accidentalis, & cum essentia non convertitur, ut satis manifestè lapsus diabolorum & hominum declarat.

ΥΕΥ ΔΟΔ ΟΞΟΙ.

XXXII.

Hinc apparet, à veritatis tramite secedere omnes illos, qui aut corpus, aut animam, aut horum essentialem quandam partem, aut ipsammet hominis essentiam fuisse imaginem Dei, ad quam homo creatus dicitur, sine ratione & scripturae fundamento somniarunt.

XXXIII.

Ex altera parte miserè etiam hallucinantur, Pelagius & ejus Sectatores, pigri ventres Monachi, Scholastici, Sententiarii, & alij, qui justiciam originalem, in qua primus homo fuit conditus, fuisse connaturalem negarunt, sed externum duntaxat fuisse ornatum, donum seu accidens philosophicum, quod citra naturæ corruptionem amitti potuerit.

XXXIV.

Cum enim ejusmodi vitulinis oculis justiciam originalem intuerentur, neque ejus veram descriptionem tenerent, dixerunt, justiciam originali amissam, naturalia nihilominus mansisse integra, quod non tantum de substantia hominis sed de humanae naturæ viribus, qualitatibus, proprietatibus intellectum voluerunt.

XXXV.

Hinc affirmarunt hominem ex dictamine rationis posse, eligere & facere bonum, viribus adhuc in natura reliquis posse Decalogum implere, gratiam Dei demereri, Deum super omnia diligere, quo jactato fundamento, tandem superstruxerunt meritum congrui & condigni.

Has

XXXVI.

Has hereses omnes, & alios varios disputationum, & perplexarum questionum labyrinthos, facili labore declinaverimus, si inter ipsam substantiam, ejusque accidens distinxerimus, Aliud enim est ipsa hominis natura & essentia, aliud item naturae inherens rectitudo, & omnium virium in anima & corpore cum voluntate divina conformitas.

XXXVII.

Haecenus de primo hominis statu, nempe integritatis, nunc consequens erit, ut ad secundum, qui est corruptionis, progrediamur, & in eo ὁρθοδοξίαν καὶ ἑσδοξίαν aperiamus.

SECUNDUS STATUS HOMI-
NIS CORRUPTI.

ὈΡΘΟΔΟΞΙΑ,

THESIS I.

Imago Dei, qua homines ante lapsum à Deo dotati erant, non tantum fuit clara lux agnitionis Dei, & voluntatis divinae, & sapientiae discernens recta & prava, sed ut thesi 25. primi status hominis diximus, voluntas justa & recta expetens & probans liberrimo arbitrio.

II.

Homines vero hoc liberrimo arbitrio male utentes, & se perderunt, & ipsum, ut dixit Augustinus in Enchirid., cap. 30.

III.

Nam cum temere contra Dei voluntatem de arbore vetitae scientiae boni & mali, Diaboli suasu comederent, juxta severissimam Dei comminationem, se cum tota sua posteritate in extremam miseriam, & temporalem ac aeternam calamitatem praecipitarunt, imaginem Dei amiserunt, & hujus loco imaginem & larvam Satanae induerunt.

III. ἄρρηστο.

Hac larva Diaboli, seu naturae humanae depravatio, seu, ut usitatum vocabulum retineamus, peccatum originis, non est anima, non corpus, non essentialium hominis partium substantia.

V.

Quia omnium eorum quae ad essentiam pertinent creator est Deus, ut Propheta Esaias. 44. innuit: Haec dicit Dominus faciens & formans te ab utero. Et Psalmo. 119. Manus tuae fecerunt me & Plasmaverunt me. Et vidit Deus omnia, quae fecerat, & erant valde bona, Gen. 1.

VI.

Cum vero peccatum originis sit deterrimum malum, nec Deo transcribere, nec substantiae nomine appellare possumus. sed

VII.

Sed est accidens & ἀνάγκη in anima, in corpore, & in tota hominis substantia, in ejus primarijs facultatibus. Cæcitas & ignorantia Dei ac rerum spiritualium in mente & intellectu. In voluntate aversio à Deo & extrema omnium voluntatis virium contumacia, ut bona spiritualia ex se nec velit nec velle possit, nec se ad gratiam præparare, nec oblata spiritualia bona propriâ facultate amplecti valeat.

VIII.

Potest autem hæc humane nature corruptio, quæ usitatè à nostratibus theologis peccatum originis appellari solet, dupliciter considerari, aut enim respectu primorum parentum, qui proprio suo lapsu, Diaboli instinctu eam sibi attraxerunt, aut respectu horum posteritatis, quæ eam ex propagatione naturali annatam & insitam habet Genes. 5. Psal. 51.

IX.

Hæc corruptio nature in causa est, quod homo in spiritualibus prorsus sit cæcus, legi Dei satis facere non possit, quid dicam? quod legi Dei satis facere non possit, imo acerrimè ei reluctatur & rebellat, ut ordine demonstrabimus evidentissimis sacre scripturæ testimonijs

X.

In spiritualibus plane cecum esse hominem asserit Paulus. 1. Corint. 2. Homo ψυχικὸς animalis (quemadmodum ex patre & matre nascitur) non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, stulticia enim illi est & non potest intelligere, & 2. Corint. 3. Non sumus idonei ex nobismet ipsis ad cogitandum quicquam velut ex nobis ipsis, sed quod idonei sumus id ex Deo est. Quod fusius etiam tractat & ex veteri testamento demonstrat Rom. 1. & 2. dicens. Vani facti sunt in rationationibus suis, & ob tenebratum est desipiens cor eorum, cum profiterentur se esse sapientes stulti facti sunt. Et uberius Rom. 3. demonstrat his verbis: Non est qui intelligat, non est qui exquirat Deum, omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui exerceat bonitatem non est usq; ad unum. Contritio & calamitas in vijs eorum, & viam pacis non cognoverunt, & Ephes. 4. dicit, gentes versari in vanitate mentis suæ, cogitationem habere obscuratam, & ab alienatas esse à vita Dei, propter ignorantiam quæ est in ipsis, ex obduratione cordis eorum.

XI.

Esaie 9. dicitur totum genus humanum esse tenebræ, id est privatum & carens luce veræ justitiæ & agnitionis Dei, & vitæ quam Deus approbat.

XII.

Exemplo etiam nobis esse potest, ipse Paulus, ex quo apparet, quan-

tum homo vetus in spiritualibus possit. Hic cum adhuc in carne seu vetus homo esset, poterat proficere supra multos aequales in genere suo, & vehementer studiosus esse traditionum majorum Galat. 1. & juxta justitiam quæ in lege est, fieri irreprehensibilis: Philip. 3. Sed tamen ea quæ Spiritus Dei sunt, neque intelligit, neque petit: sed blasphematur, avertatur, persequitur, ignorat.

XIII.

Nam Rom. 7. testatur, se, cum maxime sese in lege exerceret, tamen sine lege vixisse: hoc est, legis mentem quam spiritualem vocat, & suarum virium impotentiam non intellexisse.

XIV.

Cum itaque tanta humana natura sit corruptio, ut in rebus spiritualibus nihil efficere valeat propriis viribus, ut jam dictis scripturae demonstratum est, cuius obviu[m] erit videre & inde colligere, neminem hominum posse legi divinæ satisfacere. Nam affectus carnis mors est, & inimicitia adversus Deum, legi non est subiectus: sed ne potest quidem: Rom. 8. Et ipse Christus dicit: Nonne Moyses dedit vobis legem, & tamen nemo ex vobis factis præstat legem Iohan. 7.

XV.

Denique hominem non modo non posse legi Dei satisfacere sed eidem accerrime reluctari testatur $\pi\epsilon\sigma\omega\tau\omicron\mu\alpha\gamma\tau\upsilon\varsigma$ Stephanus Actor. 7. dicens: O duri cervicis, & incircumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita & vos. Imo ipsemet Deus de cordis contumacia, & malicia, qua homo præcipitur, quo minus legi Dei satisfacere possit, sed eidem potius reluctatur, testatur Gen. 6. Vidit Deus quod omne figmentum cordis humani tantummodo sit malum per singulos dies. Et figmentum cordis humani malum est ab adolescentis Gen. 8.

XVI.

Hanc corruptionem sequuntur mors & pœna temporalis, & nisi homo alium statum ingrediatur, & per aquam & Spiritum regeneretur, temporalis & aeterna simul, ut cap. 3. Genes. testatur: donec revertaris in terram de qua sumptus es: pulvis enim es, & in pulverem revertèris. Iob. 4. Qui habitant domos luteas, terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tineâ, de mane usque ad vesperam succidentur, & quia nullus intelligit, aeternum peribunt. Et Psalm. 49. Mors depascet eos.

XVII.

Quanquam, ut audivimus, homini omnis vis & facultas in rebus
spiritua-

spiritualibus à scriptura præscinditur: tamen in civilibus, externis & naturalibus rebus & actionibus restat illi facultas, qua potest civiliter honestè vivere, rempub.: administrare, scripturam legere, ac fidei articulorum sibi historicam noticiam comparare, sed sine interprete, & Spiritus sancti auxilio, & illuminatione mentis, eos non potest salutariter intelligere. Cujus nobis exemplo est Eunuchus, Actor. 8.

XVIII.

Quod & Augustinus his verbis confirmat: Firmè tene, & nullatenus dubites, posse quidem hominem, quem nec ignorantia literarum, nec aliqua prohibet imbecillitas vel adversitas, verba legis & Evangelij sive legere, sive ex ore prædicatoris, audire, sed, ut, quod audit corpore, corde etiam percipiat, & accepta divinitus bonâ voluntate facere & velit & possit, neminem posse, nisi quem Deus gratia sua prævenit, August. de fide ad Petrum cap. 32.

ΤΕΥΔΟΞΟΙ.

XIX.

Cum itaq; adeo evidenter de peccato originis sacra scriptura testetur, facile hinc colligere valemus, errare omnes secus docentes, quorum quinque classes constituere possumus.

XX.

Prima classis est philosophorum, & omnium statuentium, secundum affectum meminem dici vel bonum vel malum, quod Christus refellit Matth. 5. omnis qui aspicit mulierem ad concupiscendum eam, jam adulteravit eam in corde suo, & omne figmentum cordis pravum est, Gen. 6.

XXI.

Secunda Phariseorum, Saduceorum & scribarum, qui ex utero matris se sanctos esse autumarunt, eò quod ex sancto patriarcha Abrahamo originem traherent, propterea etiam suam carnalem natiuitatem sancti fecerunt, ut ob eam se gentibus multo meliores esse opinarentur, quod apparet ex Matth. 3. & Iohan. 3. Quod natum est ex carne caro est, & Iohan. 8. in quibus capitibus illorum erroneam sententiam, Iohannes & Christus refutarunt. Neq; hi ἀταξίου & inordinatus motus in homine peccata esse statuerunt, quod apparet in tumido & fastuoso Phariseo, Matth. 18. Sed quis dabit mundum ex immundo, ne unus quidem, dicit Iob. 14. & quid est homo, ut mundus sit, & ut iustificetur natus ex muliere, Iob. 15. ad hanc classem etiam referri possunt omnes hypocritæ, Cain, Cham, Esau.

XXII.

Ad tertiam referimus Manichæos, qui Deum peccati auctorem finxerunt, quod cum viderent in scriptura refutari, duo finxerunt principia. Sed scriptura palam eos refutat, dum dicit: Non Deus nolens iniquitatem tu es, neq; habitabit juxta te malignus Psalm. 5. & Job. 34. Absit à Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas: Ipse quoq; omnia Jolus creavit, ut Gen. 1. In principio creavit Elohim calum & terram & ipsius verbo cæli facti sunt, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum Psalm. 33.

XXIII.

Ad quartam classem referimus Pelagium & Monachæos, qui etiam hanc doctrinam sinistrè explicarunt, sicuti in disputando excui potest.

XXIV.

Ad quintam referimus Maibiam Flacium Illyricum, qui peccatum originis ipsam hominis substantiam esse deliravit.

XXV.

Horum omnium hæreticorum argumenta nimis longum foret recensere, in disputando examinari poterunt.

XXVI.

Tantum de secundo hominis corrupti statu ante regenerationem dictum esto. nunc etiam quid de tertio statu hominis corrupti, & per verbum à Spiritu Sancto regenerati, judicandum sit manifestabimus.

STATUS TERTIUS HOMINIS PER
VERBUM A SPIRITU SANCTO REGENERATI.

ΟΡΘΟΔΟΞΙΑ.

I.

Semper fuisse & esse aliquos homines in mundo, qui à Spiritu Sancto per verbum & sacramenta Dei regenerati & renati fuerint, constat ex Dei verbo generi hominum tradito, ex historia Ecclesiastica ex cultibus divinis, piorum confessionibus & præclarissimis in Ecclesia Dei editis miraculis.

II.

Hæc regeneratio non est transmutatio substantiæ hominis in aliam à priori hominis substantia diversam; nec fit extra hominem.

III.

Sed fit in homine, ejus corporis & animæ viribus & potentijs, in mente, corde & voluntate: & fit non novo corpore, nova anima, nova voluntate creata, sed depravata sanata, ut inquit Augustinus de civitate Dei.

IV.

Esse enim regenerationem spiritualem, docet Christus Joh. 3. Nisi quis

quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest regnum Dei intrare. Et D. Petrus Benedictus Deus & Pater, Domini nostri Iesu Christi, qui ex multa sua misericordia regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, 1. Pet. 1. & Iohannes, Quicquid natum est ex Deo vincit mundum, 1. Ioh. 5. Item, scimus, quod quisquis natus est ex Deo non peccat. 1. Iohan. 5. vers. 18.

V.

Renatos vero esse novas creaturas, edocet Paulus dicens: Si quis est in Christo, nova creatura est, vetera praterierunt, ecce nova facta sunt omnia, 2. Corint. 5. In Christo Iesu neq. circumcisio quicquam valeat, neq. praeputium, sed nova creatura.

VI.

Regenerationem etiam fieri in corporis, animae, mentis, voluntatis viribus seu facultatibus, edocent sequentia dicta, Petrus in Synodo Hierosolymitana affirmat dicens, Deum corda gentium fide purificare. Idem animas vestras purificastis obediendo veritati. 1. Pet. 1. & iterum, abstinete a carnalibus concupiscentiis, quae militant adversus animam, 1. Pet. 2.

VII.

Efficiens causa regenerationis, seu hominis regenerati est Deus Pater Filius & Spiritus Sanctus, ut dicitur 1. Pet. 1. Regenerati per sermonem viventis Dei omnis qui diligit ex Deo natus est & cognoscit Deum 1. Ioh. 4. Paulus. 2. Cor. 1. Qui confirmat vos una nobiscum in Christum, & qui juxta nos Deus est, qui etiam obsignavit nos deditq. Arram Spiritus in cordibus nostris.

VIII.

Ipsius sumus opus conditi in Christo Iesu ad opera bona Eph. 2. & Deus est qui capit in vobis opus bonum, Philip. 1. & iterum, Deus est qui capit in vobis opus bonum, Philip. 1. & iterum Deus est qui agit in vobis ut & velitis & efficiatis, pro bono animi proposito Philip. 2.

IX.

Impulsivae causae regenerationis sunt Dei misericordia, ut patet ex 1. Pet. 1. juxta copiosam suam misericordiam regnavit nos, Videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut filij Dei nominemur, 1. Ioh. 3.

X.

Secunda vero causa impulsiva est meritum Christi, cujus vibice sanati sumus, 1. Pet. 2. Esaia 53. & per ipsius sanguinem emundamur ab omnibus peccatis, 1. Iohan. 1. Cum inimici essemus reconciliati fuimus Deo, per mortem Filij ejus Rom. 5.

XI.

Media autem quibus Deus utitur ad conversionem in hominibus operandum, sunt verbum & Sacramenta legitime administrata.

XII.

Hoc comprobant manifesta dicta scripturae, 1. Pet. 1. Renati non ex semine mortali, sed ex immortali, per sermonem viventis Dei, & manentis in aeternum. Hoc autem est verbum, quod per Evangelium delatum est ad vos. Et Evangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti, Rom. 1. & Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei, Rom. 10.

XIII.

Totum etiam veterem hominem regenerari à Deo, per verbum & sacramenta, in omnibus suis viribus & sensibus, tam interioribus quam exterioribus, intentionibus & cogitationibus etiam aliàs in speciem non malis, de quibus hæc dicta testantur. Ornatus nõ sit externus, sed occultus, qui est in corde homo, si is careat omni corruptela, ita ut Spiritus placidus sit atq; quietus, 1. Pet. 3. Item, ipse Deus pacis sanctificet vos totos, & integer vestier spiritus, & anima, & corpus ita ut in nullo possitis culpari.

XIV.

Hic autem est ordo regenerationis. Primum Deus per verbum operatur agnitionem essentia & voluntatis suae in lege & Evangelio patefacta, & assensum, per hunc enim sermonem propheticum oritur lucifer in cordibus attendentium, 2. Pet. 1 & Christus dat mentem quã cognoscamus verum Deum, 1. Ioh. 5. Et spiritum mundi non accepimus, sed Spiritum, qui est à Deo, ut sciamus quae à Christo donata sint nobis, quae & loquimur non sermones quos docet humana sapientia, sed quos docet Spiritus Sanctus, spiritualia, spiritualibus comparates, & mentem Christi tenemus 1. Cor. 2.

XV.

Deinde ducit, movet & regenerat voluntatem ut velint & curent regenerati ea, quae sunt Spiritus, eaq; sibi applicent, hinc existunt vera fides, & alij spirituales motus verbo Dei congruentes.

XVI.

Efficit etiam Spiritus Sanctus, ut in ipsius officina regenerati manent, si modo per verbum monenti, non furenter & Diabolico more resistant, nec in peccatis conscientiam vastantibus perseverent.

XVII.

Postquam Deus per verbum operatus est Fidem, cujus beneficio homo remissionem peccatorum accipit, tum Spiritus Sanctus collocat se in cor hominis, mentem & voluntatem magis magisq; illuminat, regit, ducit, & fructus spiritus perficit, & in sanctis ceu in proprio templo tum habitari dicitur, 1. Corint. 3. & 6. & 2 Corins. 6.

Quod

XVIII.

Quod vero ex equo omnes per verbum non convertantur, causa non penes Deum residet, quasi is nolit omnes divinum verbum audientes converti, minime gentium: Hic namq. patiens est erga nos, dum non vult illos perire, sed omnes ad penitentiam recipere 2. Pet. 3. & vult omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, 1. Timoth. 2.

XIX.

Offert etiam suum salvificum verbum sine discrimine omnibus, & per Filium nobis acclamat: Venite ad me omnes, & sinit suum verbum quovis gladio anticipi penetrantius & acutius esse, Ebra. 4.

XX.

Sed cum non omnes Evangelio obediant, Rom. 10. sed illud stultitiam habeant 1. Cor. 1. veritati non obtemperant, obtemperent vero injusticia, Rom. 2. Ipsimet sunt in causa, quod non convertantur, regenerentur, & salvi fiant.

XXI.

Deus etiam iisdem causis, quibus in nobis operatur fidem & salutem vult regenerationem sustineri, exerceri & conservari, nempe per verbum, sacramenta, spiritum Sanctum, & fidem.

XXII.

Cum vero non omnes regenerati, & semel spiritus sancti gratia illuminati, fidem operibus charitatis exerceant, sacramenta, per qua fides ad salutem alitur, contumaciter contemnant, spiritum Sanctum peccatis enormibus excutiant, & in impenitentia perseverent, penes ipsos non potest non esse causa aeternae ipsorum damnationis.

XXIII.

Nota etiam, quibus homines verè regenerati cognosci possunt, sunt, esse conversos ad pastorem & curatorem animarum: Habere in se loquentem Christum, habere cor fide purificatum: Esse participes Christi: Imo esse domum spiritualem, sacerdotium sanctum, genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam 1. Pet. 2. 1. Cor. 13. Act. 15. Heb. 3. 1. Pet. 2.

XXIV.

Tres vero primarij fines sunt ob quos Deus vult homines veteres regenerari & renovari.

XXV.

Primus? ut immensam suam bonitatem, & ineffabilem misericordiam erga genus humanum declaret: nam in hoc apparuit caritas Dei in nobis quod filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum 1. Joh. 4. Imo ut laudetur gloria gratiae ejus, qui caros nos reddidit per dilectum, Eph. 1. & D. Paulus de se scribit, quod propterea misericordiam adeptus sit, ut in se primo Deus omnem suam elementiam ostenderet 1. Timoth. 2. 1.

Se-

XXVI. ^{IVX}

Secundus ut faciat opera bona, ipsiq; veram suam in Deum fidem erga proximum declarent, ut Deus celebretur & glorif. etur, nam regenerati sunt ipsius opus, conditi ad opera bona, quæ preparavit Deus ut in ijs ambulent Eph 2.

XXVII.

Tertius finis est ut vita æternâ jure hæreditario regenerati potiantur, & fidei finem salutem animarum reportent 1. Pet. 1. Et Iohannes se propterea suam epistolam scripsisse perhibet, ut qui credunt in nomine Filij Dei sciant quod vitam æternam sint habituri. 1. Ioh. 5.

XXVIII.

Sicut manifestum est, hominem renatum ex veteri & novo constare, sic quoq; ejus duplicia in sacris literis occurrunt opera, quorum alia veteri, alia novo transcribuntur homini.

XXIX.

Veteris hominis opera sunt, adhuc sentire inordinatas concupiscentiæ flammæ, quia semper caro concupiscit adversus Spiritum, impediens, ne omnia quæ velimus secundum Spiritum faciamus, 1. Pet. 2. si quidem lex in membris rebellet legi mentis nostræ, & captivos nos reddat legi peccati. Rom. 7. Horum veteris hominis infrugiferorum operum prolixum texit catalogum D. Paulus Galad. 5.

XXX.

Quibus tamen quantum in ipsis est, Spiritus Sancti gratiâ renati repugnant, aliâs contra conscientiam illis indulgentes, Spiritum Sanctum excutiunt, fidem amittunt, & fiunt rei æteræ mortis & damnationis, & nisi resipiscant, sed finaliter in illis perseverent, æternum pereunt. Nam Paulus dicit, si secundum carnem vixeritis moriemini, Rom. 8. Et qui committit peccatum, puta enorme, conscientiam vastans, & Spiritum Sanctum ejusq; divinam gratiam excutiens, ex Diabolo est 1. Ioh. 3.

XXXI.

Student autem internis & externis operibus, auxilio Spiritus Sancti, cujus fructus sunt, caritas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia, Galat. 5.

XXXII.

Hæc etiam bona opera quæ à renatis fiunt secundum legis divinæ normam & formam, minime viribus humanis tribuuntur, sed Deo Patri Filio & Spiritui Sancto, ut & à ter sanctissima Trinitate datæ fidei. Nam non sumus idonei ex nobis tanquam ex nobis, sed si ad aliquid idonei sumus id ex Deo est, 2. Cor. 3. & nemo potest Iesum Christum Dominum dicere, nisi per Spiritum Sanctum, 1 Cor. 12. Solus enim Deus est qui agit in nobis, ut & velimus & efficiamus, Phil. 2, & hic operatur omnia in omnibus, 1. Cor. 12.

Si

X X X I I I.

Si itaq; in sacris literis ejusmodi dicta occurrunt, quæ viribus hominis ea opera transcribere videntur, cum verò doctores sunt intelligenda, neq; de regenerandis, sed de regeneratis & Spiritu sancto illuminatis accipi debent: ut 2. Cor. 7. Has promissiones cum habeamus, carissimi, mundemus nos ipsos ab omni inquinamento carnis & Spiritus, perficientes sanctimoniam cum timore Dei. 1. Joh. 5. Omnis qui habet hanc spem, in eo purificat se, sicut ille purus est.

X X X I V.

In his & alijs hisce similibus non verbum, Deus, Spiritus sanctus, & fides excluduntur: nam sine Deo & verâ fide nemo se purificare potest.

X X X V.

Hæc autem renatorum hominum opera, Spiritus sancti ductu facta, quantumvis bona sint, & Deo propter Christum viva fide apprehensum placeant, tamen renati legi divine integram obedientiam, propter naturæ depravationem, & inherens peccatum nequam præstare possunt: cum Paulus etiam de se renato palam profiteatur, se quamvis nihil sibi sit conscius, tamen in hoc non esse justificatum. 1. Cor. 4.

X X X V I.

Homo etiam renatus non sic à Deo obfirmatur, ut etiam volens contra conscientiam labi, & Spiritum sanctum excutere, non possit: sicut angeli, qui in sua innocentia perseverant, à Deo jam sic obfirmati sunt, ut labi nequeant; nequaquam.

X X X V I I.

Sed contumacia & enormibus peccatis possunt fidem profundere, Spiritum sanctum excutere; propterea tam sedulo hortatur Petrus Sanctos, ut caveant sibi à carnalibus concupiscentijs, quæ militant adversus animam, 1. Pet. 2. & Iohannes dum monet, ut caveant sibi ab ijs, qui falsam doctrinam spargunt, subindicat, eos posse à fide desciscere. 2. Joh. Epist.

X X X V I I I.

Quilibet autem facili labore de se conjecturam facere potest, num verè renatus sit.

X X X I X.

Quando nempe servat præcepta Dei, tum manet in Deo, & ipse in eo: & per hoc scimus, quod manet in nobis, è spiritu, quem nobis dedit 1. Joh. 3.

XL.

Si Spiritu Dei ducuntur, tum sunt filij Dei. Rom. 8. & cognoscere semetipsos possunt, quod Iesus Christus in ipsis sit, nisi sicubi reprobi sunt. 2. Cor. 13.

XLI.

Temporarie etiam morti, propter reliquias peccatorum, renatos obnoxios comprobat, præter quotidianam experientiam, D. Paulus suo exemplo, dicens: cupio dissolvi, & esse cum Christo. Phil. 1.

XLII.

Qui autem in extremo die adventus superstites fuerint, in ictu oculi immutabuntur, & rapiuntur cum resuscitatis obviam Domino in aëra, & ita semper cum Deo erunt. 1. Theß. 4. Qualis vero hæc mutatio futura sit, audiemus in sequentibus thesibus quarti hominis status.

X E Y Δ O Δ O E O I.

XLIII.

Cum jam sacra scriptura irrefutabilibus dictis demonstraverimus, quid homo regeneratus in hoc tertio gradu sit, unde regeneretur, quid proprijs viribus possit & non possit, damnantur & errant omnes, qui secus docent.

XLIV.

Errat ergo Origenes, qui lib. 1. ad Rom. dicit: Habet ergo in arbitrio suo anima, si velit eligere, & iterum lib. 3. de principijs: Videmus, quomodo Paulus Apostolus, velut potestatem liberi arbitrij habentibus loquitur: & tanquam in nobis ipsis vel salutis vel perditionis causam habentibus.

XLV.

Errant Pelagius & omnes ejus sectatores, Pontificij, Sententiarij, qui docent hominem posse proprijs viribus inchoare & efficere omnes motus spirituales; ut & Synergista, quorum unum atq; alterum argumentum hic enumerabimus, & breviter dissolvemus.

XLVI.

Argumentum Synergistarum primum.

Si omnino in rebus spiritualibus homo nullum habet liberum arbitrium, & nihil in sui conversione cooperatur Spiritui sancto, à quo solo fidem dari credimus, Deus erga omnes homines non erit æquè affectus,

At

At scriptura testatur Deum esse erga omnes homines æquè
actum, 1. Timoth. 2. 1. Pet. 3.

Deus non vult quenquam perire.

Ergo, oportet esse liberum arbitrium, quod discrimen fa-
ciat inter eos, qui verbum accipiunt & salvi fiunt, & eos qui ver-
bum rejiciunt & damnantur.

XLVII. ἄνταπόκρισις.

Majoris connexio negatur, quia est error παρὰ τὸ ἐπόμενον. Deus
æquè erga omnes peccatores animatus est, neq; est particularitas e-
jusmodi absoluta Dei voluntati assignanda, quasi aliquos certos saltem,
& singulares quasdam personas ac individua salvare, ceteros pro-
miscuè perire velit. Ezech. 18. 1. Timoth. 2. 2. Pet. 3.

XLVIII.

Neq; in verbo est causa, quod aliqui non convertuntur. Verbum
enim apud omnes est ἐνεργεῖσθαι Ebr. 4. licet apud multos sit ἀναγνωσθῆναι
Matth. 13.

XLIX.

Discriminis autem & diversitatis causa, quod scilicet alij per ver-
bum convertuntur, alij non convertuntur, hinc oritur, quod aliqui au-
diunt verbum, reliqui contemnunt, & inter eos qui audiunt, alij perpen-
dunt, alij negligunt: & iterum aliqui retinent in corde bono, & adfe-
runt fructum cum patientia, reliqui resiliunt: sicut Salvator hæc discrimina
in parabola seminis Luc. 8. demonstrat.

L.

Itaq; Dei voluntas manet invariabilis, quæ est, quod vult omnes
homines salvari, sed non simpliciter & absolute eos salvari vult, absq;
omnibus medijs, sed per fidem in Christum, quam non aliter, quàm per
auscultationem verbi, & usum Sacramentorum adipiscimur. Rom. 5.
Iohan. 5. Act. 17. Ideo æternus Pater de celo clamat, Hunc audite.
Item, ad legem & ad testimonium, Rom. 10. fides ex auditu, 1. Cor. 1.
Beneplacuit Deo per stultam prædicationem servare credentes.

LI.

Qui igitur verbum discendi & retinendi studio audiunt, illi conver-
tuntur, sicut evidentissimo exemplo Iudæorum, qui concioni Petri au-
scultant, patet, Act. 2. cum enim libenter, ἀκούοντες, id est, cum vo-
luptate audirent & admitterent verbum, baptizati sunt, & accesserunt
eo die ter mille animæ.

LII.

Res exemplis claret. D. Pauli concione Antiochiæ habita, gentes convertuntur, Iudæi inconversi manent. Act. 13. Queritur, quæ sit causa diversitatis? textus ipse eam manifestat, dicens: repleti sunt Iudæi invidia, contradicebant ijs quæ à Paulo dicebantur, & contradicentes blasphemabant.

LIII.

Itidem, quod Dionysius Areopagita, Damaris, & alij nonnulli Pauli concione, quam ad Athenienses habuit, convertuntur, reliqui in sua impietate manent, quæ causa diversitatis? textus ipse dicit, quod illi Paulo adhaeserint & crediderint: hi verò sannis eum exceperint Act. 17.

LIV.

Potest itaq; homo etiam non regeneratus Dei verbum audire, imò etiam de eo carnali sensu disputare, sed non potest illud proprijs viribus intelligere ut apparet in exemplo Eunuchi, & Stoicorum, Epicuræorum & Philosophorum Atheniensium, qui conflictabantur cum Paulo de ijs quæ predicabat. Act. 17.

LV.

Etsi autem homo vetus verbum potest audire, & carnali sensu illud secum perponderare, ut ex allatis exemplis manifestum est: non tamen idcirco Spiritui Sancto cooperatur. Rom. 8. Non enim est currentis neq; volentis, sed miserentis Dei: Qui solus incipit in nobis bonum opus & perficit, solus operatur in nobis velle & perficere. Phil. 2.

LVI.

Præterea in hoc argumento illud quoq; monendum est, quod minor non sit ἀπλῶς intelligenda, sed cum distinctione hominum in statu integritatis, erga quos æquè fuit affectus. Deinde lapsu intercedente, propter suam justiciam non potuit erga pios & impios ex æquo esse affectus, quia impios ad misericordiam propter Christum promissam non confugientes, nec vera et vivifica fide eam sibi applicâtes propriâ culpa perire sinit: pios vero viva fide Christum induentes, et ipsius justiciâ se vestientes, recipit in gratiam & salvat. Vult itaq; Deus omnes homines salvos fieri, sed servato ordine justiciæ, ut dicit Ambrosius.

LVII.

Secundum argumentum Pontificiorum & Synergitarum,

Si

Si nullum liberum arbitrium; Decalogus frustra erit latus, imò, omnes promissiones, comminationes, adhortationes, dehortationes item ipsæ verbi divini conciones videntur fore supervacaneæ.

Sed conseques est, ἀτοπον.

Ergo oportet adhuc post lapsum esse liberum arbitrium in rebus spiritibus reliquum.

LVIII, ἀντὶ ἀποκρίσεως.

Nulla est consequentia. Nam Deus est per verbum suum efficax, & eo corda hominum convertit & operatur in ijs eternam beatitudinem. Quamvis autem homo proprijs viribus verbum cum fructu audire, et rectè absq; illuminatione divina intelligere non valeat: tamen Decalogus, promissiones, comminationes, adhortationes, habent alios fines; ut nempe Deus suam justiciam, misericordiam, sapientiam & veritatem omnibus manifestet, & declaret, se non esse auctorem peccati. Secundo, ut homo agnoscere discat, quam horribiliter natura corrupta sit, & medicum vulneratæ naturæ ex Evangelio quærat.

Tertius finis est, ut per verbum homo illuminetur et convertatur, quod ut eo melius fieri possit, oportet Deum corda hominū, malleo legis primū contere et tum demū oleum salutiferum in Evangelio monstratum vulnere infundere. Quarto ut discant homines regere locomotivam ex lege, & eam normam vitæ habeant.

LIX.

Dicta vero scripturæ, quæ pro sua sententia stabilienda Synergistæ detorquent, facile solvi possunt, si animadverterimus, illorum quædam loqui de liberate naturæ integræ ante lapsum: quædam de libertate voluntatis, in rebus rationi & sensibus subjectis: quædam de arbitrio jam liberato: quædam de libertate gloriæ, quando renouatio erit consummata: quædam esse legalia, quædam Evangelica, sicut disputando declarari poterit.

LX.

Tantum de hoc tertio hominis regenerati gradu: jam ad quartum hominis, nempe glorificati statum progrediemur, & quid de eo scriptura perhibeat, breviter aperiemus.

QUARTVS HOMINIS GLORIFICATI STATUS.

C 3

I. Quam-

I.

Quamuis humana ratio in fidei negocijs caeca et stolidi reclamet, & praeter tres commemoratos hominis in hac vita arumosa et caduca status, alium restare, nempe gloriosum, difficulter sibi persuaderi patiatur.

II.

Tamen nos in schola spiritus Sancti aliud edocti, cum Paulo MULIEREM, id est, rebellem & indomitam humanam rationem in his, fidei articulis tacere jubemus, & ex πλεροφωγία Spiritus Sancti credulo animo Deo, ipsiusque minimè fallaci verbo fidem habemus, aliam vitam beatam & perpetuam, & sic alium, praeter praememoratos, de quibus haecenus egimus, superesse hominis gradum, puta gloriosum, affirmamus.

III.

Nam eundem Deus & promisit, & potens est promissis stare, ut scriptum est I. Ioh. 2. Haec est promissio, quam ipse pollicitus est nobis. vitam aeternam. Et iterum: Vitam aeternam dedit nobis Deus, I. Ioh. 5. et Iob de se profitetur, quod in sua carne visurus sit Dominum Iob. 19.

IV.

Hic status pro diversa conditione credulorum & incredulorum in altera vita, duplex esse statuitur: ignominiosus & gloriosus.

V.

Ignominiosus, eò quod impij aeternam ignominiam coram toto mundo afficientur: de hoc in praesentia nihil agemus.

VI.

Gloriosus, eò quod tum corpora piorum mortalia immutabuntur & glorificato Christi corpori conformia reddentur, amissamque lapsu protoplastorum Dei imaginem divinam potentiam & misericordiam, propter Christum fide apprehensum recuperabunt.

VII.

Quaenam huius status in hac naturae imbecillitate plenariam cognitionem perfectamque definitionem dare non possumus: nam oculus non vidit, auris non audivit, nec super cor hominis ascendit, quod Deus se diligentibus preparaverit Esaiæ 64.

VIII.

Praeterea omnia quae in praesenti vita habemus, licet magna videantur, & plurima, tamen comparatione futurorum parva & pauca sunt: ut dicit Hieronymus.

9. Adum-

IX.

Adumbratione itaq; & qualicunq; huius status descriptione, in hac mortalitate contenti simus, reliqua differentes, donec in alteram trans mundanam Academiam pervenerimus, illic videbimus Deum sicuti est, & oculis nostris contemplantur, & reipsa experiemur et possidebimus quod hic speravimus & credimus.

X.

Dabimus itaq; quantum ex scriptura colligere possumus, huius status hanc descriptionem.

XI.

Glorificatio piorum ex hac mortali vita migrantium est opus divinum, quo in novissimo die resuscitatis piorum corporibus, & cum animabus suis denuo copulatis, illis Deus Pater, per Christum cum Spiritu Sancto suam imaginem, per tristissimum protoplastorum lapsum amissam, in hac vero vita imperfectè renouari cœptam, perfectè restituet, ac in suo cœlesti regno, ineffabili beatitudine, pace, iusticia, gaudio gloria, ornabit & coronabit, ut ipsius conspectu & consuetudine aeternum fruantur, ei conformes reddantur, & ab ipso qui est omnia in omnibus in infinitam aeternitatem sustententur, ut Deum laudent & celebrent.

XII.

Hanc quarti hominis status descriptionem, comprobant dicta scripturae; ut primùm, ipsummet Deum credentes, ex merà paterna bonitate & gratiâ, propter Christum eiusq; solius meritum, glorificaturum docet Regius Vates Psalm. 22. Laudabunt Dominum qui requirunt eum; vivent corda eorum in seculum seculi, idq; propter Messiae passionem, mortem & resurrectionem, ut ibidem innuitur, Et Oseæ 13. De manu inferni redimam eos, & à morte vindicabo eos. Ero pestis tua, mors: ero exitum tuum, inferne.

XIII.

Si etiam vnus delicto mors regnavit in mundo, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis iusticiæ accipientes in vita regnabunt, per vnum Iesum Christum, Rom: 5. Et gratia Dei vita aeterna in Christo Iesu Domino nostro, Rom: 6. Et Hoseæ 6. Vivificabit nos post biduum, & die tertia faciet nos surgere, & vivemus ante faciem eius.

Præterea

XIV.

Præterea priorum conversatio in cælo est, ex quo & servatorem expectant, Dominum Iesum Christum, qui glorificabit corpora eorum humilia, ut conformia reddat corpori suo glorioso, secundum efficaciam, qua etiam potest sibi subijcere omnia, Phil, 3.

XV.

Glorificatos Dei consuetudine fruituros, & eum semper laudaturos, testatur Psalm, 27. Credo me visurum bona Domini in terra viventium, & Psalm, 84. Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.

XVI.

Cause vero finales, ob quas Deus corpora sit glorificaturus, sunt.

XVII.

I. Ut suum paternum animum erga credulos declaret, & fructus passionis & mortis Christi, ipso opere ostendat, & simul compenset labores & ærumnas, quas pii in hac vita, propter nominis ipsius gloriam sunt perpassi, ut omnes lacrymas ab illorum oculis abstergat, & pro his beneficis illum laudent & celebrent.

XVIII.

Hic damnamus omnes Epicuræorum de grege porcos, qui alium hominis, postquam è vivis excessit, restare statum gloriosum, vel ex professo, vel in corde clamant negant.

XIX.

Deus clementissimus, Pater Domini nostri Iesu Christi, convertat qui converti possunt, ut penitentiam agant, & veritati resistere desinant; suos vero in fide & spe Christiana stabiliat, fundet & roboret, per Christum Iesum unum nostrum redemptorem & solatium, cum Spiritu suo Sancto, & faciat, ut, quod hic spe, illic re possidere valeamus.

Μὲν τῷ Θεῷ δόξα.



99 A 6905

ULB Halle
002 824 817

3



5b_a







THESES
DE QVADRVPPLICI
HOMINIS CONSIDERATIONE
IN STATU NATURÆ

INTEGRÆ,
CORRVTÆ,
REGENERATÆ, ET
GLORIFICATÆ,

SVB PRÆSIDIO
REVERENDI ET CLA-
RISSIMI VIRI DN. SALOMONIS
GESNERI, S.S. THEOLOGIE DOCTORIS
& Professoris in alma Witebergensium
Academia,

M. IOHANNE MULLERO, HAVELBER-
gense, Marchico, Respondente, concinnata & publica
disputationi proposita, die VII. Ianuarij
anno dñi Anni novi 1597.



WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri, Anno 1596.

